

**05**

**A**

**1720**









10  
16

# Disputatio

Theologica

De

# BAPTISMI

SACRAMENTO,

Photinianis erroribus opposita,

ET

SS. Trinitate annuente,

*In Inclytâ Witebergensi Academiâ publicè proposita*

à

NICOLAO HUNNIO D.

Professore publico,

R E S P O N D E N T E

MARTINO VVILDE, Lubecensi.

*Ad diem 23. Octobr.*

*In Auditorio Theologico, horis matutinis.*

*Cum Gratia, & Privilegio Electoris Saxoniae.*

*Witeberga, Ex Officina Typographica Joban. Richteris,  
Impensis Caspari Heidem Bibliopol. Anno 1618.*





Dissertatio

Theologica

De

BAPTISMI

SACRAMENTO

Phoenicianis erroribus opposita



22. Theologiae

In Institutio Wittenbergensi

NICOLAUS HUNNO D.

50 A 1720

Professor publicus

RES PONDENT

MARTINO VILHELMO LUBECANO

Ad diem 2. Octobris

In Auditorio Theologico, horis matutinis

Cum Gratia & Privilegio Electoris Saxoniae

Wittenbergae, Ex Officina Typographica Johannis Richterii  
Imperialis Cassarum Heilbronnensis, Anno 1720





# IN NOMINE SS. TRI- NITATIS. AMEN.

I.



Tomnibus sit conspicuum, projecto fundamen-  
tali dogmate de S S. Trinitate, nil manere in to-  
ta religione Christiana integrum, præter cætera  
convellenda est Photinianis *ὀρθοδοξία*, quam ha-  
ctenus Ecclesia de Sacramento Baptismi firmiter  
tenuit, ac etiamnum tenet, idq; multis modis.

2. Protruserunt enim hæctenus in scriptis suis variis errores  
varios circa 1. necessitatem dogmatis de baptismo 2. ipsius bap-  
tismatis nomen. 3. genus ac definitionem. 4. efficientem ac insti-  
tutionem. 5. materiam seu objectum. 6. formam & administran-  
di modum 7. finem & effectum. 8. Necessitatem. Quos singulos  
ut piè, & ad cœlestis verbi amussim dextrè exigamus, faxit sanctissi-  
mus baptismi fundator, Amen.

### 3. I. NECESSITAS DOCTRINÆ DE BAPTISMO.

Miratur & conqueritur Ostorodus, tantopere, eaq; cum vehe-  
mentiâ pro integritate Baptismi depugnari, ac si universam religi-  
onem Christianam corruere oporteat, ubi error hoc in articulo  
commissus fuerit. *Institu. cap. 39. §. 1. p. 346.* Unde satis liquet, per  
Ostorodi hypothesin, corruptâ doctrinâ de Baptismo, nihilomi-  
nus religionem Christianam consistere integram: Seu brevius: Bap-  
tismi dogma non esse fundamentale fidei dogma.

4. Nec mirum, sic eos sentire, siquidem persuasum habêt, non  
esse baptismum nisi ritum externum, effectum carentem, quod pa-  
tebit postea. Interim errori hoc thema opponimus: *Doctrina de  
Baptismo est articulus fidei fundamentalis.*

A 2

5. Nolu-





5. Nolumus autem in prolixam *fidei*, & *fundamentalis articuli* explicationem digredi, sufficiat dixisse; talem fidei articulum esse, qui 1. Deum, & in officio suo Christum, nec non ipsum hominem, salutariter nobis innotescere facit, vel media pandit, quibus à spirituali lapsu peccati resurgimus. 2, qui salvo & integro dogmate de Christi persona & officio (Hoc enim fundamentum 1. *Cor*: 3 v. 11. *Eph*: 2 v. 20.) semper salvus est, & quo corrupto aut negato, ipsum fundamentum convellitur.

6. Quo sic posito, thema vestrum stabilimus Syllogismo gemino, quorū *prior* ita habet: Quodcunq; fidei dogma ostendit medium nostræ spiritualis restitutionis, per quod 1. regeneramus & renovamur (ut, qui fuimus caro de carne nati, nunc renascamur Spiritus de spiritu) 2. Christum induimus; 3. cum ipso sepelimur (id est beneficiorum ejus reddimur participes) 4. à peccatis abluimur, & mundamur; 5. in fœdus cum Deo recipimur; 6. ad salutem denique æternam penetramus: hoc, inquam, dogma fidei est fundamentale. Cujus propositionis veritas ex articulorum ad salutem scitu necessariorum conditionibus facile innotescit.

7. Atqui: *dogma de baptismo aqua* ostendit tale medium: Etenim est baptismus medium nostræ à lapsu naturalis restitutionis, ut pote per quem 1. *regeneremur & renovamur* Tit: 3 v. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti. Joh 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. 2. *Christum induimus*, Gal. 3 v. 27. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. 3. *Cum Christo sepelimur*. Rom: 6 v. 4. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem. Col. 2. v. 12. Consepulti ei in baptismo. 4. *A peccatis abluimur & mundamur* Eph: 5 v. 27. Christus sanctificavit Ecclesiam mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet illam sibi gloriosam &c. Act. 2. v. 38. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. 5. *In fœdus cum Deo recipimur*, 1. Pet. 3 v. 21. Salvos nos facit Baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonæ interrogatio ad Deum. 6. *Ad Salutem æternam penetramus*. Marc. 16 v. 16. Qui



Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. 1. Petr. 3 v. 21.  
Salvos nos facit per baptisma. Tit. 3 v. 5. Salvos nos facit per  
lavacrum &c. Ergo baptismatis doctrina est articulus fidei fun-  
damentalis.

8. *Posterior* hic esto : Omnis articulus, quo corrupto, vera  
doctrina de officio Christi salva & integra esse nequit, est funda-  
mentalis. Sic accipienda est vox cum ea latitudine, ut *fundamen-  
talem* dicat *articulum*, principaliter quidem eum, qui fidei fun-  
damentum constituit (quod facit doctrina de officio Christi) de-  
inde verò & illum, quo læso, consequenter ipsum fundamentum  
læditur.

9. Doctrina de Baptismo sic est comparata : Ut namque rectè  
doceatur de officio Christi, apprimè opus est, ut salutariter tra-  
ctentur hæc duo : 1. beneficiorum impetratio. 2. impetrato-  
rum applicatio. Ut enim absque merito & impetratione,  
nulla est applicatio, sic absque applicatione nullus fructus ex im-  
petratione ad quemcunque redit. Cœterum applicationis  
duo sunt ordinaria media, verbum & Sacramenta : De Ver-  
bo nunc non agimus. Sacramenta sunt duo, utrumque obli-  
gnans beneficia per Christum parta; sic tamen, ut simul etiam  
conferant : Licet verò nobis verbum solum ad applicationem  
plenè videatur sufficere, cum tamen necessariò ab institutio-  
ne pendeamus, aliter statuere nec possumus nec debemus, quin  
ea esse applicationis media, quæ Deus verbo suo nobis ut talia  
commendavit, credamus.

10. Qualiter verò Baptismus Christi beneficia per mortem  
& sepulturam impetrata sic conferat ut induamus Christum, per  
regenerationem fiamus novi homines, à peccatis mundati, in  
fœdus cum Deo recepti tandem salvemur (quæ omnia Christi  
beneficia sunt) modò vidimus, ut subsumptio in dubium vocari  
non possit; nimirum cadente puritate doctrinæ de Baptismo, ne-  
que dogma de Christi officio salvum manere : Unde conclusio :  
**I. doctrina de Baptismo est articulus fundamentalis.**

A 3

II. II. NO.



11. II. NOMEN BAPTISMI. Ut Sacramenti Baptismi institutionem probemus, producimus verba Christi *Matth. 28. v. 19. Docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* Quo minus autem Photiniani, institutionem negantes, se constrictos profiteantur, ad vocis *baptismus* ambiguitates confugiunt, statuentes, quia vox ea reperiatur notare doctrinam, non protinus, nominato baptismo, intelligendum esse eam, quia fit aqua. Ita *Ostor. cap. 39. § 2. p. 349. Smale. contra D. Frantz. Disp. 10. p. 308.* Socin. disputat. de Baptif. & alij.

12. Nos, etsi diversum usum nominis *baptismus* facile agnoscamus, cum primis verò in Novo Testamento triplicem significatum deprehendamus, iuxta quem est *baptismus aque, Spiritus & Crucis*; attamen gemino errore gravidam esse Photinianam opinionem credimus: quòd 1. *vox baptisma doctrinam interdum significare affirmat*; 2. *Baptismatis nomen, absolutè positum de aque baptismo intelligendum negat.*

13. **ERRORI.** Quantum ad priorem; initiò sumimus pro certo, baptismum *grammaticè* nunquam significare doctrinam: Post, res omnis in eo conquiescet, ut edant Photiniani loca Scripturæ, in quibus taliter accipiatur baptismus.

14. Illorum duo promunt, *Act. 18. v. 25. c. 19. v. 3.* Quorum ille Apollonem scivisse tantum baptisma Johannis; hic Ephesinos in baptisma Johannis baptizatos asserat. Ut enim non aquæ-baptismus **S C I T U R**, sed doctrina; & baptizari in baptisma, idem est, quod in doctrinam; colligitur, baptismum intelligi doctrinæ.

15. At 1. duo saltem loca cernimus producta, quo fatentur Adversarij, usum illum, si quis est, rarissimum esse. 2. Ex utroque consequentia ducitur, sed longè petita, nec parum vel ipsismet dubia. 3. Baptisma Johannis nemo hominum tunc temporis aliter intelligebat, quàm de eo, quem ad Iordanem aqua ministrabat; idque universalis usus per scripta Apostolica monstrat.

16. In specie, quia Apollo *scivit* Johannis baptisma, rursus consequentiæ rationem petimus, cur de aquæ-baptismo non debeat accipi? 1. nihil incommodi, si in eo significatu maneamus. 2. & ratio illa de nihilo est, quod doctrinæ conveniat *sciri*, non aquæ baptismo. Quasi vero grammatici scientiam non usurpent de



de rebus: Et Philosophi scientiam non referant propriè ad *τι ἐπι-  
στητή*, impropriè ad doctrinam: quasi item Scriptura cum pro-  
phetica, *Num. 20 v. 14. Deut. 20 v. 20. Es. 29 v. 11. &c.* tum Aposto-  
lica *Act. 19 v. 15*, non similiter de rebus scientiam intelligat!

17. Cui illud Photinianis expendendum annectimus; quod  
aquæ-baptismus dicitur *prædicari*. Hinc enim ita procedimus:  
Quicquid prædicatur, idem & scitur: Aquæ-Baptismus prædica-  
tur: Idem E. & scitur: quod qualiter cum adductâ consequentiæ  
ratione conveniat, ipsi viderint.

18. Porrò edoceant ipsi *Act. 19 v. 13*. baptizari in Johannis bap-  
tisma, significare, baptizari in doctrinam Johannis: Interim ubicun-  
que invenitur talis nominis & verbi conjunctio: *baptismo baptizari*  
*Matth. 20 v. 22, 23. Luc. 7 v. 29. c. 12. 50. Act. 19 v. 4*. Semper idem  
est utriusq; sensus: quod hoc etiam loco se taliter habere, credimus.

19. **Error 2.** Vox *baptismus* absolutè posita non  
semper est accipienda de baptismo aquæ; vel hinc convellitur  
quod 1. de aquæ-baptismo ea principaliter ac primò effertur: Quia  
autem vox quævis, ut ut aliàs ambigua, dum prædicationem  
ingreditur, unum saltem retinet sensum, semper autem præsumi-  
tur absolutè posita, retinere primarium & nativum, quam diu non  
evidens ratio in diversum cedere cogit: utiq; eodem privilegio  
nos non minus gaudere speramus, cum *baptismum* de illo, qui fit  
aquâ, intelligimus. 2. Usus per Scripturam sic obtinet, ut no-  
men *baptismi* absolutè positum, nî aliud sentire textus cogat, *sem-  
per* accipi oporteat de aquæ-baptismo, ut omnia loca introspecien-  
ti evidentissimè patet.

20. **III. GENUS BAPTISMI.** Numeramus bap-  
tismum inter *N. T. Sacramenta*, quod Photinianis displicet, non quasi  
ipsam baptismatis actionem simpliciter reprobent, sed quia per-  
suasum illis est, *Sacramenta* eo sensu, quo nos vocem usurpamus,  
esse nulla: sive, Scripturas nusquam dicere, vel ex ijs colligi posse,  
quod Deus per externas ceremonias gratiam & vitam æternam  
offerat & conferat: Ut *Smalc. scribit refut: disp: 3. post: D. Frantz: p  
373. Disp: 8. pag. 422.* Cum econtra baptismum censeant *ritum  
saltem externum*, quo homines è Judaismo vel Gentilismo ad re-  
ligionem Christianam accedentes manifestè profitebantur, se  
Christum



Christum pro suo Domino agnoscere, *Smalc. l. d. p. 310. Catech. Rar-  
cov: art. de mun: Christi proph. cap. 8. p. 195. Ostor: Instit. cap. 39. S. 1.  
Socin. disp. de bapt. cap. 2. pag. 13.*

21. Geminus rursus error: 1. Baptismus non est Sacramentū. 2. Est  
saltem externus ritus, nil amplius, quàm professionis Symbolum.

22. Error 1. Extra litem est, vocem *Sacramenti* in eo si-  
gnificatu, quo utitur Ecclesia, in S. literis non reperiri; verùm cum  
res sit Scripturæ, vox seu nomen Ecclesiæ ( de quo tamen alibi )  
nunc errorem Photinianum sic pellimus.

23. Omnis sacra actio, per quam Deus, eeu medium in hoc ab  
ipso ordinatum beneficia quæ Christus hominibus impetravit, of-  
fert & confert, ea est Sacramentum. Quam propositionem Pho-  
tinianos negaturos haud puto.

24. Baptismus est talis sacra actio, quod & jam probatum, &  
infra probabitur pluribus. Ergo baptismus est Sacramentum eo in  
sensu accepta voce, quo Ecclesiæ nostræ utuntur.

25. Error 2. *Ritum exteriorem* esse putamus, actionem in  
sensus externos incurrentem, certo modo, certisq; solennibus per-  
actam quæ tamen præter typum aut nudam significationem & ad-  
monitionem, realem effectum post se non relinquit.

26. Baptismum habere *solemnia* in oculos incurrentia, immer-  
sionem puta in aquam vel asperisionem, in dubium non vocamus:  
ut neque illud: è Judaismo & Gentilismo ad religionem Christia-  
nam accedentes, ut modis aliis, sic & per baptismum, professos es-  
se, se Christum pro suo domino agnoscere.

27. Attamen Baptismi *essentiam hoc solo absolvi*, ut ipse *ἡτοιμασῶς*  
nihil sit aliud, quàm fidei professio, id v. negamus ac pernegamus.

28. Quia 1. assertio Photiniana nullo fundamento Scripturæ  
nititur: quæ baptismum nusquã vel huic fini ( externæ cõfessionis )  
destinat, vel ritum externum vocat. 2. Nec Johannis baptismus pro  
tali ritu fuit habitus, utpote à Deo institutus *Job. 1, 33. Matth. 21. v. 28.*  
(quod in N. T. de nullo prorsus ritu, qui præter ceremoniã sit nihil,  
affirmari potest) quiq; & effectibus divinis est plenus *Matth. 3. v. 5.*  
*6, 7, 11. Marc. 1. v. 4. Act. 19. v. 4.* & iudicio primatum Jerosolymi-  
tanorum *Job. 1. v. 25. plebis Judaicæ Matth. 3. v. 5. Luc. 20. v. 6. Di-*  
*scipulorum Johannis Job. 3. v. 26. Domini Jesu Matth. 21. v. 24. Luc.*

7. v. 28.



7.v.28,29. Lucae tandem Evangelistæ *cap.7. v.30.* exterior ceremoniam omnino negatus fuit. Deterioris autem sortis esse, quem discipuli Christi ad illius mandatum administrarunt, nec pium est affirmare, nec per Scripturas licet. 3. Baptismus Christi abs nemine unquam inde ab ejus institutione ad hæc usque tempora pro ritu ejusmodi nudo & inani fuit habitus, quod sacra pariter & Ecclesiastica historia docebit. 4. Ejusmodi typis quondam fuit descriptus (arcâ Noe *1. Pet. 3.v. 20, 21.* defensione & conservatione Israelitarum per mare rubrum *1. Cor. 10.v. 2, 6.*) qui externæ ceremoniæ nequaquam conveniunt?. 5. Iis similibus est descriptus (fontis *Zach. 13.v. 1.* lavacri *Eph. 5.v. 26, 27. Tit. 3.v. 5.* Quo referantur *Ezech. 36.v. 26. 1. Cor. 6.v. 11. Apoc. 22. v. 1.*) quæ in ritum externum, minimè quadrant. 5. Iis effectibus laudatus, qui à ritu nudo non proveniunt, quos superius tactos infra plenius considerabimus.

29. Conclusio emergit prompta: Ergò baptismus talis ritus non est, qualem nudum & exteriorem Photiniani describunt.

30. IV. EFFICIENS SEU INSTITUENS. Hactenus quidem in Ecclesia dubitatum non fuit, esse baptismum-aquæ ab ipso Christo præceptum & institutum; ejus tamen oppositum, Photiniani docent, statuentes, illum *ab Apostolis* potius originem trahere, quibus, permittente Christo, tale quid constituere liberum, permissum, nequaquam præceptis injunctum fuerit. *Ostor. instit. cap. 39. S. 1. pag. 347. S. 2. pag. 348. Smalc. contra D. Frantz disput. 10. pag. 308, 309.*

31. Quo minùs autem in hunc errorem eamus, sed certò statuamus *Christum Iesum verum Baptismi autorem, non permissione sed stricto mandato*, hæc rationes faciunt: 1. Quia nusquam legitur, Apostolos, *permittente Domino*, eundem instituisse. 2. Quia expressum ejus mandatum legitur *Matth. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, filij & Spiritus Sancti.* Res clara est nullius explicationis indiga.

32. Nec tamen verentur contrà ferre Photiniani. *Unum*: permissionem hoc esse, non mandatum. *Smalc. cont. D. Frantz, pag. 310. disp. 10.* At 1. permissionem non probant Adversarii. 2. Nos non didicimus præcepta cognoscere aliunde, nisi ex *imperativis*: sin secò sentiendum, textus vel Scriptura reliqua nos instruet; quod hoc loco non fit. 3. Eadem vis est *et docentes*, cujus *et baptizantes*, eodem

B

dem



dem enim numero & censu vox utraq; habetur. Sed illa imperativa est, quare & hæc.

33. *Alterum*: Non hic Sermonem esse de baptismo-aquæ, sed doctrinæ *Ostrod. instit. pag. 350. Smalc cont. D. Frantz. p. 309. 315.* Resp. 1. At nullus est doctrinæ baptismus. 2. Et quamvis esset, hic tamen à sensu genuino, proprio, & vulgatissimo (per quem baptismus absolutè positus, est is, qui aquâ peragitur) ad improprium, & rarissimum non transimus, quia nulla necessitate urgemur. Utrinq; igitur suppetias causæ suæ ferant Photiniani, hortamur. Sed de his suprâ. 3. Pudere igitur incipiat Adversarios, abs nobis probationem flagitantes, qua doceamus, aquæ-baptismum intelligi, nos siquidem manemus in regula; illi ad exceptionem confugientes, singularitatem & à regula discessum probent. 4. Nec negligenda loquendi ratio, qua salvator utitur: primò ait *μαθητεύσατε*, facite discipulos: Quod mandatum qualiter gemino modo possint exequi Apostoli, per distributionem monstrat; geminum participium annectens: 1. *baptizantes*, 2. *docentes*, & præceptum generale ad utrumque specialem modum **ÆQUALITER** referens.

34. 3. *Apostoli Baptismum aquæ administrarunt*: Ubi consideramus 1. officium Apostolicum, quod est, agere legatum ad præscriptum Domini mittentis, non verò extra hujus limites vagari. 2. Naturam baptismi ab Apostolis collati, qui ordinarium est organum remissionis peccatorum, & æternæ salutis impetrandæ *Marc. 16. v. 16. Act. 2. v. 37, 38.*

35. Hinc argumentatio talis: Ordinarium remissionis peccatorum, & salutis æternæ organum instituitur à solo Deo, minimè v. ab homine, eoq; legato, id est, non proprio nutu agente, sed ad voluntatem alterius adstricto. Est autem Baptismus ejusmodi organum. Ergo &c.

36. 4. *Apostoli cunctos ad fidem Christianam accedentes baptismum ante omnia Act. 2. v. 37, 38. Continuo Act. 16. v. 33. suscipere suaserunt*, imò jusserunt. *Act. 10. v. 47.* Id quod præcepti & institutionis divinæ certum argumentum est: præsertim, quia nullum, utus leve, est indicium, actionem illam pro *ἀναφορῶν* à quoquam fuisse habitam.

37. 4. *Johann*



37. 4. *Johannis Baptisma non potuisset absq; temeritatis crimine administrari, nisi divino jussu precedente, quod ex conditione illorum, quæ ad cultum spectant, cuius planum est Matth. 15. v. 9. Col. 2. v. 23. Et ea de causa vocatio Johannis toties asseritur. Luc. 3. v. 2. Job. 1. v. 33. Cum ergò non minoris fuisset temeritatis (quæ fidis & sanctis Apostolis minimè imputanda) si Apostoli absq; mandato eum administraissent sequitur & illum aquæ baptismum fuisse præceptum.*

38. V. OBJECTUM, sive Materia circa Quam. De illa variè sentiunt. 1. Baptismus aquæ datus non est, ut inter gentes vulgetur & usurpetur ab Apostolis *Smalc. cont. D. Fr. disp. 10. p. 309.* 2. *Ad baptismum nemo cogendus, qui cum in infantia forsan baptizatus sit, alio baptismo se nò indigere putarit.* 3. *Qui religionem Christianam prius professi nò sunt, aut aliàs pro non-baptizatis habètur, vel maximè sunt baptizandi: Id verò non propter mandati necessitatem, sed ritus Apostolici observantiam.* 4. fratrum liberi in infantia baptismo non tincti, ubi ad annos discretionis pervenerint, & fidei rationem reddere potuerint, baptizari debent, quod tamen diutius observandum non est, quàm usq; dum cœtus Photinianus factus numerosior. Emblemata sunt *Ostrodi Inst. c. 39. S. 8. p. 362, 363.* 5. *Infantes nullo modo baptismo sunt initiandi. Smalc. contra D. Frantz. pag. 321. seq.*

39. Quadruplex in his error. 1. Baptismus non datum, ut inter gentes usurpetur. 2. Eum, qui se satis baptizatum credat, etsi debito modo id factum non fuit, ad baptismum non cogendum. 3. Baptismus non perpetuandum, sive, non spectare ad omnium temporum homines. 4. Infantes non baptizandos.

40. Error 1. Aquæ baptismum datum esse hominibus, fatentur. Labet quærere: à quo datus? An à Christo: aliud vix respondebunt. Ergò institutionem habuit divinam. Quomodo datus? per mandatum, consilium, aut quid tandem? Posteriorum nihil affirmare possunt, fundamentis thesaurum suarum nò destructi. Ergo primum: Ergo præceptus. Quando datus? cum diceret Christus: Baptizate omnes gentes? alium locum non dabunt. E. is, de quo illic Christus, aquæ est. Quæ omnia negata, vidimus supra.



41. Datum, *ut inter gentes usurpetur*, negant. 1. ex concessis quærimus, cui datus? Solis Apostolis? solis Judæis? & cur non etiam gentibus? Mandatum nemo limitibus ejusmodi inclusit aut includere jussit. Reddant Photiniani rationem per quam ipsi hoc faciant. 2. Mandatum Christi *gentibus* Baptismum expressè destinat: *μαθητεύσατε πάντα ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς &c.* Docete OMNES GENTES, baptizantes EOS: quo nihil clarior: Maneamus ergò in eo: Per *omnes gentes* divulganda erat doctrina, ergò & baptismus, doctrinæ indivisim connexus, eodemque præcepto Apostolis commendatus, & nominatenus *gentibus*, nec non per univèrsale mandatum, *Omnibus*, gentibus destinatus. 3. Apostolos fidem probasse suo Domino, affirmare, nihil ambigimus. Cùm autem fidei non sit, baptismum communicare illi, cui Dominus mittens & instituens collatum noluit: aut immergeros fuisse discipulos, aut institutionem se ad gentes omninò extendisse, oportet. 4. Ratione finis, propter quem baptismus institutus creditur, eadem est necessitas, idem usus Gentilium, qui Judæorum, adeoque omnium hominum; eadem Dei voluntas ad hos & illos, & istos: eadem omnium vocatio ad Christianismum, omniaque illius bona. Credatur Ergò baptismus uni datus, omnibus datus. 5. Ex opinione Photiniana baptismus est ritus professionis eorum, qui ad fidem Christianam accesserunt, sive ex Judaismo, sive ex *Gentilismo*. Quæ definitio si vera est, antique credendum est, voluisse instituentem, ut etiam *gentibus* administraretur baptismus,

42. Error 2. Coactio, qua ad Sacra Ecclesiæ homines adiguntur, vel est *interna* & spiritualis: vel *externa* & corporalis. Hæc à Christianis est aliena, namque cum Pontificijs igne & ense ad fidem Papalem amplectendum homines cogentibus, nequaquam nos facere profiteamur (causis alijs nunc præteritis) vel ideò, quia conscientias externis his medijs non flecti scimus, quicquid etiam vis exprimat ori.

43. *Internam* v. coactionem (si modò ita dicenda) quæ n̄t per prædicationem & inculcationem verbi, divinæ illius, & salutiferæ virtutis *Rom. 1. v. 16.* corda compungentis, constringentis, cogentis *Act. 2. v. 37.* Ecclesiæ putamus propriam, & per hanc unumquemque,



quemque, quantum fieri potest, ut ad fidem Christianam, & quaecunque ejus capita, & cultus partes, sic etiam ad baptismum cogendum: hoc est per Christianæ fidei, cultus, ac professionis, integritatem, per propriam cujusque salutem, nemini, ut baptismum negligat, esse concedendum, affirmamus.

44. Ut verò, qui Deum colit, at non modo debito, colendo non edit: qui sic credit, ut partem fidei abijciat, credendo non credit; Sic, qui baptizatus est, at non juxta institutionem Christi & modo debito, is baptismo tali baptizatus non est: Eundem igitur pro non-baptizato habendum, & modis explicatis ad baptismum cogendum dicimus.

45. Idque 1. propter *Christi mandatum*, quod eam postulat observationem, quam institutio circumcisionis, utpote cui illa successit, ut patebit infra 2. Propter *Apostolorum exemplum*, qui conversos ad baptismum coegerunt *Act. 2 v. 38. c. 10 v. 47, 48 & c.* 3. Propter *baptismi officium*, quod est, esse organum ordinarium, cujus medio varia beneficia, eaque ad æternam beatitudinem absolute necessaria, imò salus ipsa, hominibus à Deo conferuntur: quod fines & effectus baptismi plenius expedient. Qualiter ergò homines ad regenerationem, peccatorum remissionem, ipsamque vitam æternam: taliter ad baptismum sunt cogendi.

46. Error 3. Eadem est ratio istius pronunciati quo consultum judicant Adversarij, ut *baptismus liberis fratrum* (Christianorum) tunc non amplius administretur, ubi Deus veritatem hominibus plenius revelarit; quod est dicere, non spectare baptismum æqualiter ad omnium seculorum homines.

47. Refellitur quippe iisdem ferme medijs. 1. Comprehenduntur sub nomine *Omnes gentes*, non saltem, qui tunc vivebant homines, verum & hodiè, & ad finem usque mundi viventes atque victuri, non minus E. & sub institutione ad omnes gentes directa. 2. Ut vigore mandati Dominici, *docete Omnes gentes*, hodièque oportet doceri homines quosvis, ita vigore illius, *baptizate Omnes gentes* hodièque oportet baptizari quosvis. 3. Eadem est Dei ad homines voluntas hisce temporibus, quæ fuit tempore legationis Apostolicæ (nihil enim aliud nobis interea fuit revelatum) eadem scilicet tam quoad restitutionem & salutem nostram



nostram, quàm illius acquirendæ mediæ: in quibus cum baptis-  
mus loco certè minimè postremo numeretur, non possumus du-  
bitare, Deum voluisse eum ad nos usque, imò finem mundi deri-  
vari, durare. 4. Eadem est utrinque hominum, necessitas: cui  
Deus aut non prospexit (quod paternæ ipsius bonitati non con-  
gruit) aut eodem medio, (dum aliud non apparet) baptismo nimi-  
rum prospexit; quod nos concludimus.

48. Ex quo conspicitur Photiniana temeritas; Est Dei cer-  
tissima voluntas; est Christi immutabilis institutio, debere bap-  
tismum ab omnibus Christianis, quorumcunque temporum ad us-  
que mundi finem suscipi, administrari: At ipsi: *Non debet* (refe-  
rimus Ostorodi verba) *diutius tolerari, quàm Deus homines illumi-  
narit & veritatem suam plenius revelarit.* Judicet Ecclesia Chri-  
sti, quid illa Secta monstri alat.

49. Error 4. *Pædobaptismum* damnant Photiniani, id  
quod ex Anabaptistis, ut alia multa, didicerunt; & maximè inve-  
huntur in Ecclesias nostras, quæ Sacramentum illud infanti-  
bus conferunt. *Smalc. contra D. Frantz. Diss: 10. pag. 321. seq. Ca-  
tech. Racov. de propb. Christi mun: cap. 4.*

50. Cui confutando, etsi forsan superfedere possimus, quod  
multoties jam confutatus idem in Anabaptistis, ne tamen quic-  
quam superfugere videamur, *infantes utiq; baptizandas* esse, asseri-  
mus idque per causas subsequentes:

51. 1. *Quia mandatum est universale, baptizate omnes gentes.*  
Quisquis sub complexu omnium gentium comprehenditur, is,  
vigore hujus mandati, est baptizandus. Infantes utique compre-  
henduntur E. baptizandi. Id quod nobis sufficit: Ut enim per  
hoc baptizantur juvenes & adulti, mares & foeminae, Servi & An-  
cillæ, Germani & Poloni, Judæi & Gentes: Neque affirmans,  
Servos aut Germanos, Italos &c. baptizatos initiandos, tene-  
tur specialibus documentis hoc evincere; Sic neque infantes bap-  
tizandos statuens: quod enim illi sufficit generale præceptum, idem  
& huic.

52. Neque moramur præcepti limitationem, qua illud re-  
stringunt ad eos, 1. qui possunt fieri discipuli Christi, 2. qui  
sunt rationis compotes, & capaces rerum, quæ ad religionem  
pertinent,



pertinent. 3. qui finem baptismi intelligunt. *Smalc. contra D. Frantz. p. 322, 323.*  
153. Nusquam enim lectum est in Biblijs, baptizandos tantum esse eos, qui rationis sunt compotes, & rerum ad religionem pertinentium capaces: Nusquam; eos tantum, qui finem baptismi intelligunt. Non igitur inter Oracula censemus.

54. Tantò autem magis affirmationis temeritatem detestamur, quod notorium est, potuisse quondam infantes octiduanos in foedus gratiæ recipi, & sigillum justitiæ ac promissionum suscipere, quantumvis rationis compotes non essent, sacra religionis Judaicæ non caperent, nec promissiones scirent, nec circumcisi-  
onis finem (si ex ingenio nostro res judicanda) intelligerent,

55. Baptizandos non nisi eos, qui discipuli fieri possunt, utique scriptum est; ideò nobis oraculum. At: nondum evictum, infantes discipulos fieri non posse. Oppositam affirmantem ita stabilimus:

56. Quicumque est capax 1. divinæ vocationis. 2. Salvificæ fidei. 3. regni cælorum, is utiq; Christi discipulus fieri potest. Ratio: Uocatione Deus ad coeum discipulorum invitat, fide homo coetui discipulorum se aggregat; regnum cælorum intrans finem & præmium fidei ac studij impetrat: quæ tria boni & ingenui discipuli requisita sufficiunt.

57. Infantes capaces sunt. 1. divinæ vocationis. *Marc. 10 v. 14, 15. finite parvulos venire ad me.* Quæ, & connexa verba Christus protulit, non tam ex affectu humano, parvulos singulariter amplectente; quàm ex ipsorum parvulorum conditione, per quam præ adultis idonei erant, participare beneficia spiritualia à Christo paranda: quod inde constat, quia ipsos vocavit, non ex affectu exosculandos, sed *ex officio benedictione replendos*, & regni cælorum hæredes pronunciantes: Summa: Vocatio est ad capiendum dona Christi. Talis est, non nisi eorum, qui discipuli fieri possunt; secus enim pronunciantes, vah, quanta incurrent absurda! Ergò infantes capaces sunt ejus vocationis divinæ, quæ non nisi ad illos promulgatur, qui jam jam fieri & esse possunt discipuli Christi.

58. 2. Fidei



58. II. *Fidei*. Habemus & hic Photinianos fortiter renitentes *Smalc. cont. D. Frantz p. 323. seq.* At nihil refert: Dei opus est, ut credamus, non humanæ constitutionis, aut ingenii: Quicquid ergo deliret ratio, infantes fide donari à Deo, Sic probamus.

59. Quisquis 1. credere affirmatur 2. & credere exemplis probatur, 3. fidei finem impetrat. 4. & quo minus credat, nullo impedimento aut obstaculo prohibetur; is fide donari, seu idoneum suscipiendæ fidei subjectum esse, credendus est. Quam propositionem sua luce radiantem, confirmare supervacaneum ducimus.

60. Infantes 1. credere affirmantur *Matth. 18. v. 6.* *Quisquis scandalizavit unum ex his parvulis, qui in me credunt* Nec juvat Photinianos exceptio, etsi gemina: Una: *Non infantes, sed & auctia affirmantur credere.* Etenim; τὰ π αὐδία, pueruli & quidē μινεὰ parvuli, bimuli, puta, aut quadrimuli, etsi fari jam didicerint, in hoc tamen infantibus sunt pares quod usu rationis naturali eo, qui ad percipiendum religionis capita sufficiat, utriq; æqualiter carent: Quae de causa in simili historia pro iisdem habentur à Luca & auctia & βεβέν: *Luc. 18. v. 15, 16.* Nihil ergo commodi hinc ad causam Photinianam redundat.

61. Altera: Pueros intelligi *adultiores, qui possunt scandalizari.* Nam & hoc notorium est, scandalizari non saltem pueros, capitulum religionis ac fidei capaces, verum etiam minores, qui etsi humanum sermonem intelligant, adultorum gesta, mores, ac vitia cernant, & hinc reddantur deteriores, nihilominus fidei capita non valent assequi: Scandalizantur E. pueri, quoad religionis negotia infantibus æquales, imo & ipsi infantes.

62. 2. *Credere exemplis probantur.* Sistimus loco exempli 1. eos, qui in V. Testamento circumcisionem susceperunt, quando octiduum attigerant. Est circumcisio signum foederis *Gen. 17. v. 10.* Et σφραγίς justitiæ fidei *Rom. 4. v. 11.* quod arguit; ubi circumcisio, illic esse foedus, & fidei justitiam: Si enim foedus nõ prius comprobatur signo, quam foedus ipsum jam existat: Si ob signatur, non nisi quod jam decretum, dictum, scriptumve est; certè circumcisio foedus gratiæ, & justitiam, fidemq; in eo, qui illam dignè suscipit, necessario præsupponit. Quia vero infantes ex instituto divino, adeoq;



adeoque dignè circumcidebantur, concluditur: infantes circumcisos habuisse foedus, justitiam, fidem.

63. Idem exemplo suo comprobat *Baptista Johannes*, intra alvum maternam adhuc delitescens, qui Mariâ matre Domini (cum jam prole *Ἰεαν θεώπρω* essent gravida) Elisabetham salutante, præ gaudio exultavit. *Luc. 1 v. 44.* Qui præ gaudio exultat, is rationem & causas gaudij omninò & exactè novit. Johannes sub adventum Messiae præ gaudio exultavit. E. causas gaudij scivit, & per consequens beneficia per Messiam speranda, quatenus etiam ad ipsum Johannem pertinebant, cognovit; quod certè est habere fidem.

64. Miramur E. impudentiam, & fingendi libidinem *Smalcij*, duo regerentis *Disp: 10. contra D. Frantz. pag. 312.* Unum; potuisse hunc saltum Johannis fieri, non tantum ratione miraculosa, sed etiam physicâ sine omni sensu pueri: Etenim: Physicam esse rationem, Smalcus non probat: miraculosam esse, hoc est per causas supernaturales factam, Elisabetha & Lucas, ut rem singularem, & singulariter observandum celebrantes, testantur. Non absq; sensu pueri factum, rursus testis est Elisabetha, quæ saltum hunc non tantum vult esse *σήμερον*, exultationem, uti Lucas vocat *v. 41.* verum etiam *ἀγαλλίασιν*, exultationem & tripudium ex magno gaudio ortum.

65. *Alterum*: Ab exemplis illis singularibus non duci consequentiam ad regulam universalem. Namque intentio nostra non est probare, omnes infantes *taliter*, uti *Johannes*, fide donari: Sed; quia aliqui per actionem Dei supernaturalem conceperunt fidem, inferimus, nullum infantem subjectum esse regenerationi, & fidei concipiendæ, consequenter, baptismo suscipiendo ineptum, *Psytta* similem (ut impiè admodum loquitur *Smalcus l. d: pag. 322.*) Sed cui Deus per ordinaria regenerationis media fidem non minus conferat, atque adulto: Quam collectionem *Smalcus* non evertet.

66. 3. *Finem fidei impetrant.* Est illa salus animarum *1 Pet: 1 v. 9.* Estque infantum etiam regnum cœlorum, quod *Luc. 18. v. 15, 16.* clarè satis affirmatur, & extra dubium, ut credimus, est *Photinianis*.

C

67. Huc



67. Huc nemo pervenit, nisi renatus *Job. 3 v. 5, 6. 1. Cor: 15 v. 51.* nemo intrat, nisi per Christum *Job: 14 v. 6. cap. 15 v. 4. Act: 4 v. 12. Eph. 3. v. 17.* nemo per Christum, nisi fide donatus. *Matth 16 v. 16. Eph. 3 v. 17.* Ergò est fides infantum.

68. 4. *Nullum est impedimentum infantibus* obstans, quò minus ipsi fidem æquè concipiant, atque adulti. Obstacle foret vel *theologicum*, quod assignant *defectum auditu verbi*:

69. At: non est: Sciendum quippe, nusquam legi, per verbum ita fidem dari, ut non item per baptismum: si enim is regenerat, si peccata abluit &c. utique fidem operatur, sine qua nemo regeneratur, nemo à peccatis mundatur.

70. Et, quod suprà circa phrasin Domini diximus notandum, id ipsum repetimus. Inquit Salvator: *μαθητεύσατε, facite discipulos; quomodo? baptizantes & docentes: Quæ duo (baptismum & doctrinam)* cum juxta se ponat Salvator, ostendit; fieri discipulos alios quidem per doctrinam, alios verò per baptismum: Quare auditus verbi negatio, non protinus ipsam fidem negat.

71. Uel *Physicum*; Defectus ratiocinationis, seu, *usus rationis*: Ideò à psyttacis alijsq; avibus differre infantes, negant Adversarij. Sed neque hoc obstat. Ut enim lubentes concedamus, non uti infantes ratione per causas naturales: hinc tamen minimè efficitur, ne quidem in regeneratione tales rationis motus supernaturales fieri:

72. Et sanè, quia hominem sine rationis motu de novo generari, à peccatis lavari, maximè est absurdum; credimus, qui fecit sine medijs, ut Iohannes Embryo sciret (utique per rationem, quia per nullam vim & facultatem aliam) foetum à Maria conceptum, sibiq; præsentem esse Messiam; eundem etiam posse per media in quocunq; infante rationem ad operandum excitare, licet id naturæ conditionem superet. Atque sic infantes fide præditos probavimus.

73. III. *Regni cælorum*. Non repetimus, quæ modo *th: 65, 66.* sunt dicta, ex quibus liquidum, infantes regni cælorum capaces: & consequenter; infantes idoneos esse, qui fiant discipuli Christi: & consequenter: Eisdem comprehendi sub mandato *Baptizate omnes gentes*: quod probandum erat. Et hoc *primum argumentum* pro pædobaptismo.



74. II. *Quia infantes pertinent ad Ecclesiam.* Institutus est baptismus lavacrum aquæ in verbo, per quod Deus lavat *Ecclesiam*, illamque sibi mundam sistit & incontaminatam *Eph: 5. v. 26.* Ex quo certum est, quisquis ad Ecclesiam pertinet, ut genuinum ejus membrum, is, taliter volente & instituyente Christo, est lavacro isto tingendus & mundandus.

75. Infantes, non solum, ut ætatem adultiorem consecuturi, sed etiam ratione sortis & ætatis præsentis, ad Ecclesiam ut illius cives, & genuina membra pertinent: quippe cunctarum promissionum, privilegiorum, & immunitatum æqualiter cum adultis participes: Ergò infantes lavacro aquæ sunt immergendi, hoc est baptizandi.

76. III. *Quia Deus æqualiter omnes vult fieri salvos.* Nota est sententia Apostolica *1. Tim. 2 v. 4.* frequentius hinc inde per scripturam repetita: Qua non minus infantes atq; adultos comprehendendi, extra controversiam statuimus. Argumentamur: Ad quemcunq; pertinet salus æterna, ad eundem & hujus media, quatenus illa quispiam usurpare, ijsq; frui potest. Ad infantes pertinet salus æterna, ad eosdem igitur & salutis media; Inter quæ qualiter numeretur baptismus, partim ostensum, partim patebit inferius, ubi de fine baptismi agetur.

77. IV. *Quia baptismus æquè necessarius infantibus atq; adultis.* Omnes subijciuntur severo Christi pronunciato, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cælorum *Job: 3 v. 6.* Et Sententiæ Apostolicæ: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt 1. Cor: 15 v. 51.* Omnes namque caro sunt de carne nati, omnibus igitur opus est remedio, divinitus ad hoc ordinato (Deum enim ordine nobiscum agere, nec absque medijs (singularia excipio) Christiani sciunt): Hoc autem benignissimum patrem solis infantibus denegare, quis dixerit? At nullum est, si baptismum sustuleris: de quo scriptum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Marc: 16 v. 16.*

78. V. *Quia praxis nec Apostolica nec Ecclesiastica discrimen ullum inter infantes & adultos fecisse legitur.* Apostoli baptizant domos & familias, in quibus fuisse nullos infantes,



suspiciantur Photiniani *Smalc. contra D. Frantz. p. 323*: at, suspicione brutâ, cum quisque facile intelligat, in tot familijs & domibus inventos infantes, & vel infantem ad minimum. Ut verò Servos, Ancillas, mares & foeminas, &c. baptizandos inde colligo, quia Apostoli baptizarunt integras familias; neq; turbatur collectio suspicione illa: fortassis nullus fuit in hac domo servus, potuit nulla illic esse ancilla &c. Sic non minus firma est ad infantes consequentia.

79. Fingunt etiam *Synecdochen*, qua tota domus sumatur pro omnibus, qui sunt in domo apti ad eam rem, de qua sermo est. *Smalc. ibid. Socinus tract. quòd Regni Polonia, &c. cap. 4. pag. 51.*

52. Cui si locus, certè, infantes fuisse in domibus, necessarium est, quod modò negabatur. Interea, neque *synecdochen* probari, neq; si probata fuerit, adversariorum causam illâ juvari, cernimus: siquidem infantes numero illorum, qui baptismo in domibus fuerant apti, inclusos, jam demonstravimus.

80. *Ecclesiastica praxis* perpetua est, nec monstrabitur, adultos in baptismi administratione ab infantibus distinctos, aut certum ætatis tempus fuisse definitum, quoad baptismum quis admitti possit, aut debeat: Multò minus tempus ullum definietur, quo pædo-baptismus primùm in Ecclesiam introductus: Ergò infantes neq; hodie ab eodem sunt arcendi.

81. VI. FORMA ET ADMINISTRANDI MODUS. In hoc membro considerandum id, *in quod vel in cuius nomen* baptismus peragendus, oporteat ne illud 1. personam esse, & non rem aliam, quæ persona non sit? 2. Deum, an verò etiam creaturam?

82. Hinc quæsitæ: 1. An baptismus in nomen *personæ* tantum, an etiam *rei*, quæ persona non sit, peragatur? 2. An in nomine *soli Dei*, vel etiam *rei creatæ*, administretur? Et quia de his quæsitis minus piè sentiunt Photiniani, geminus efflorescit ipsorum error.

83. Error I. Baptismum in nomine personæ non saltem, verum & *rei* administrari, putat *Smalc. contra D. Frantz. disp. 1. p. 36.* non alia de causa, quàm ut non cogatur concedere, Spiritum sanctum, in cuius nomen baptizamur, esse personam.

84. Cum



84. Cum dicitur *baptizate eis ovum*, in nomen Patris &c. notatur instituens, ad cuius mandatum id fieri debebat: præcipitur formula, ne actio sit muta, ideo recitanda, ut Pater, Filius & Spiritus Sanctus ad actionem illam invocentur, &, cui effectus baptismi principaliter attribuendus, constet, editur confessio, quòd, qui baptizatur, in Deum credat.

85. Non autem satis hoc rationis ac momenti ad thema Photinianum obtinendum: pro nobis militat, quòd in confesso est, patrem & filium esse personas, unde censendum idem de Spiritu Sancto, nisi per causam singularem aliud tenere oporteat: Requiritur proinde, si baptismum *in rem* administrari dixerint, firmiter, quod dicunt, comprobent.

86. Adducunt probationem, quia *Act. 19.* discipuli quidam baptizati leguntur *in baptisma Johannis*, quod sanè res fuit, non persona *Smalc. loco allegato.*

87. Vah, quàm elumbem! 1. Quis dixit, ullum hominem *in nomen* baptismatis Johannis baptizatum? 2. quis talem baptismum instituit? 3. quis sensus, finis & usus ejusmodi rei? Hæc explicent, & ostendant, præter baptismum à Johanne, à Christo, ejusquè Apostolis administratum & usurpatum esse adhuc alium quendam, qui peragatur *in nomen baptismi Johannis*: tunc sanè aliquid obtinuerint: Interim crassum & putidum figmentum id esse, & oculis cernimus, & manibus palpamus.

88. Est verò *in Johannis baptisma baptizari* nihil aliud, quàm ipsius baptismati immergi: nec quid aliud ab Ephesinis discipulis sciscitabatur Paulus, quærens: *in quo ergò baptizati estis?* Itaq; nec alterius sensus est responsum: se abs Johanne baptisma suscepisse.

89. Ex abundante verò *in personam tantum, non rem* baptizandos homines, probamus: 1. quia scimus, quòd in personam baptizari debeamus; quòd in rem, ignoramus: propterea illud solum affirmamus, hoc præter probationes admittere recusamus.

90. 2. Quia non definitur, ane in rem *quancung;*, vel saltem in *divinam*, vel qualem tandem oporteat fieri baptismum. De personâ res certa est, de illa ne apud opinionis fabros & autores



quid certi adhuc definitum: de sola igitur persona res est liquida: in hanc igitur solam nos baptizari credimus.

91. 3. Quia baptismus est foederalis actio, & quidem talis, per quam homo in foedus aut pactum recipitur. Res quæ persona non est, neminem in foedus recipit. In cuius autem nomine homines baptizantur, is in foedus eos recipit (Ideò Baptismū appellat Petrus ἐπιθέτωμα ἀγαθῆς συνειδήσεως, conscientiæ bonæ stipulationem I. Epistolâ 3. v. 21.) Ergò in cuius nomen homines baptizantur, est persona, non res.

92. 4. Quia in idiomata divina baptismum administrari, est absurdum. Spiritum S. dicunt Photiniani virtutē Dei essentialē, non personam. Contra quod inferimus: Si absurdum est baptizari homines in nomen Iustitiæ, misericordiæ, potentiæ, scientiæ &c. Dei, vel eam solam ob causam, quia idiomata hæc non sunt personæ; ideò nec ut instituens ac principalis causa baptismi celebrantur, nec in hac sacra actione invocantur: certè, absurdum non minus erit, in virtutis divinæ, hoc est, Spiritus Sancti nomen baptizari quenquam, si is itidem persona non est: Et consequenter; omnis is persona est, in cuius nomen baptizamur.

93. 5. Nec diffitetur Smalc. loco suprâ allegato scribens: *Iure credi potest, ista verba (in nomen Patris &c.) Patri & filio competere, qui personæ sunt, improprie autem Spiritui Sancto, & Christo fortasse ita nunquam locuturum fuisse, si de solo Spiritu S. sermonem habuisset.*

94. Quæ ratio Smalci, quòd verba Christi Patri & Filio competant, Spiritui sancto improprie, nisi quod illi personæ sunt, hic talis esse à vobis negatur? Haurimus inde hoc thema: In solam personam baptizamur proprie: Jam verò in neminem baptizamur, nisi proprie: improprietatem nullam agnoscimus, nec de illa in tota scriptura Jota unum: Ergò universaliter concludendum: in solam personam, & nullam rem aliam baptizamur.

95. Error 2. Ægrè non minus de Filio & Spiritu Sancto argumentantes nos ferunt Photiniani: In solius summi & æterni Dei nomen baptizamur: sive, is, in cuiuscunq; nomine baptizamur, Deus est, summus ille, unicus, & æternus: In nomine  
filii



filiij: Item in nomine Spiritus sancti baptizamur: E. filius est ille  
unicus &c. Deus. E. Spiritus sanctus est ille unicus Deus.

96. Ideò in solius Dei nomen nos baptizari, negant; allegan-  
tes *Mosen*, in quem baptizati leguntur Israelitæ *1 Cor: 10 v. 2.* *Smal-*  
*contra D. Frantz: disp: 1. pag. 36.*

97. Absurdè: 1. Baptismus, sacra isthæc actio, à Johanne ce-  
lebrata, à Christo præcepta, tunc temporis instituta nondum fuit,  
quod definitio à Catechismo Photiniano posita, & superius notata  
satis arguit. 2. Baptismus Israelitarum factus fuit in nube & mari.  
3. Baptismus Israeliticus non fuit actio sacra & ecclesiastica, licet  
aliàs miraculosa, quod historia docet *Exod: 14 v. 20, 22.* 4. Baptis-  
mus Israelitarum isto nomine indigitatur, quia quæ per baptis-  
mum fiunt reverâ, quoad ereptionem ex potestate Diaboli, libe-  
rationem à servitute peccati &c. ea per nubem & mare contige-  
runt typicè; nube enim tegebantur, mari ceu immergebantur, u-  
troque modo Pharaonis furori eripiebantur.

98. Ita nihil proficiunt hoc exemplo Adversarij. Esse au-  
tem in neminem baptizandum, præterquàm *in solum Deum*, inde  
constat. 1. Quia baptismus est stipulatio conscientia CUM  
DEO, *1. Pet. 3. v. 21.* non certè illo, qui quacunq; ratione, improprie,  
etiam *καταχρηστικῶς* (aliàs & in magistratum baptizare fas esset)  
Deus appellatur, sed in solo summo atque æterno numine.

99. 2. Quia (cum in nomen instituentis, non alterius cujus-  
quam baptizemur) solus Deus potest ac debet constituere & ordi-  
nare, quæ ad cultum pertinent, non creaturæ *Lev: 10 v. 1.* *Es: 29 v.*  
*13. Col: 2 v. 23.* Baptismus autem pertinet ad cultum: *Ostor: instit:*  
*cap. 39. S. 4. pag. 354.* Infertur, in solius Dei nomine baptizan-  
dum.

100. 3. Quia solus Deus vim & efficaciam baptismo con-  
ferre valet. Non est, quod baptizemur in eum, qui virtutem ba-  
ptismo non confert: utpote qui neque ut instituens celebraretur,  
neque ut in baptizandum benevolus imploraretur, neque ut  
beneficus gratias promeritas reportaret. At; regenerare, ut  
Spiritus nascatur de Spiritu, qui prius fuit caro, natus de carne,

folius



solius Dei est: peccata tollere, Dei est; fidem dare Dei est, nullius creaturae: Ergo ut in creaturam baptizemur, causa nulla est: Ergo in solum creatorem.

101. 4. Quia scriptura nos nusquam de quacunque creatura, in quam baptismus conferendus, monet; de Deo autem verbum expressum dedit.

102. 5. Quia Paulus à se, tanquam rem divinam, removet ut quis in ipsius nomen baptizetur 1. Cor. 1. v. 13. sq. scribens: *nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Gajum; ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.*

103. 6. Quia Photiniani nondum definierunt, vel probarunt verius, in quidnam, quod Deus non sit baptizari oporteat, aut saltem conveniat: Ipsi hoc relinquimus, ut demonstratione instructi thesin tueantur.

104. VII. FINIS ET EFFECTUS. Definitio Baptismi Photiniana, quid circa finem & effectum baptismi nobis polliceri debeamus, index nobis fuit minimè fallax: videl. fidei Christianae professionem summum effectum esse, præter quem nullus Spiritualis sit expectandus. *Ostrod. instit. cap. 39. §. 6. pag. 358. Catech. Rac. pag. 195. & seq.*

105. Dicimus effectus (ut & fines) duplices: quosdam proprios & primarios; alios improprios & accidentarios In horum classem fidei professionem referimus, ut enim verbum Dei primò non est datum, ut prædicatio ejus esset exterius professionis Christianae Symbolum; sic neq; Baptismus; licet utrumq; *baptismus & verbum* ex usu secundo & Ecclesiastico professionem designet.

106. *Primarios* effectus cõplures scriptura refert, omnes tamen spirituales, ex quibus patebit, *Baptismum esse Spiritus S. organum*, per quod ipse dona Spiritualia in homines effundit, secus, atque scribit Smalcius *aquam Baptismi esse organum seu instrumentum Spiritus S. quo in ipso actu baptismi regenerationem operatur, non tantum falsum, sed aliquid idololatricum omninò censendum est.* Contra D. Fr. p. 311.

107. 1. *Operari remissionem peccatorum*, Act. 2. v. 37. Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. *Act. 22. v. 16. Surge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.*  
*Eph. 5.*



*Eph. 5 v. 27.* Christus dilexit Ecclesiam &c. ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo &c. *Lavacrum aquæ* verbo conjunctum nullum scit Ecclesia, nisi baptismum, nec aliud nominabitur: Sanctificatio & emundatio sordes spirituales tollit, hoc est peccata: Ergo per baptismum peccata tolluntur, ut non impurentur, hoc est remittuntur.

108. 2. *Regenerare.* Quid *regeneratio*, Nicodemo expostum *Job. 3.* nim: ut, qui caro de carne, hoc est cum pravis inclinationibus & concupiscentijs est natus, modo naturali ex suis parentibus, *Gal. 5 v. 16. seq.* is fiat Spiritus, hoc est inclinationes ad pietatem, justitiam & sanctitatem, naturalibus illis sepositis, induat, & fiat novus homo. *Rom. 6 v. 5 seq. Eph. 4 v. 24.* Id Baptismus operatur *Job. 3. v. 5.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. Unde appellatur *lavacrum regenerationis* & renovationis *Tit. 3 v. 5.*

109. Quæ contrà effutit Smalcius, conscientiam convictam & hærentem arguunt. Negat, de Baptismo loca producta intelligenda: *ref. disp. 10. D. Frantz. pag. 311, 312, 325.* nec tamen novit ipse ullum nominare lavacrum, ullam aquam, cujus medio fiat regeneratio.

110. Fortassis, *Spiritus sanctus* lavacrum istud erit, qui aquis confertur? Novimus sanè Spiritum sanctum à Prophetis comparari *aquæ*; at: utroque in loco allegato distinguitur Spiritus sanctus ab aqua & lavacro. Verbum, hoc est *Evangelium*, putat esse lavacrum illud: Sed & ipsum probatione indiget: Ubi Evangelium dicitur aqua, ubi lavacrum? Et nos Evangelium esse intelligendum, divinando assequemur?

111. 3. *Beneficia Christi applicare. In mortem ejus baptizamur.* *Rom. 6. v. 3.* an ignoratis, quia quicumque baptizati sumus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? *Cum illo sepelimur.* *Col. 2. v. 12.* Consepulti estis ei (Christo) in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem, &c. *Atq; hoc ipso Christum induimus.* *Gal 3. v. 27.* Quotquot vestrum baptizati estis, Christum induistis. Quid verò est, in Christi mortem baptizari, cum eo sepeliri, ipsumque induere, quàm beneficijs, morte, sepulturâ, hoc est toto officio præstitis se quasi vestire, ut in conspectum Dei taliter vestitis prodire, fas

D

fit



lit, quod extra hoc, & per nos non licet. *Esa. 59. v. 2. cap. 64. v. 6.*  
*2. Cor. 9. v. 3. Apoc. 3. v. 17.*

112. Coeterum, baptismum lavacrum esse, constat, eundem aquam, notissimum est. Sit E. baptismus lavacrum hoc, aqua hæc regenerans, dum à notissimis discedere nihil cogit.

113. 4. *Justitiam obsignare.* Christus Baptismum voluit doctrinæ annexum: annon, ut verbi accepti, seu crediti, seu justitiæ fidei sigillum? Id quod vox Petrina ἐπερώτημα ab effectu declarat. Ut enim circumcisio Abrahamo data est *signum, sigillum justitiæ fidei. Rom. 4. v. 11.* Sic, qui illi successit in N. T. baptismus.

114. Clamorem hic tollunt, inficientes, quod diximus. Uerum si intuearis 1. Sententiam Paulinam *Col. 2. v. 11, 12.* Baptismum vocantem *circumcisionem Christi.* 2. statutum de Profelytis protinus sub ingressum ad Ecclesiam Judaicam circumcidendis: Idque cum praxi Apostolica *Act. 2. v. 10 & c.* descriptâ conferas. 3. Objecti universalitatem, omne masculinum circumcide, *Gen. 17. v. 10.* & omnes gentes baptizate. *Matth. 28. v. 19.* 4. finem, quem ipsi Photiniani assignant, fidei professionem, circumcisioni sub Veteri: Baptismo in N. Testamento attributam; næ clamoribus ipforum nihil moveberis.

115. Et sanè: fidei justitiam sub Testamento U. obsignavit circumcisio: Si non idem præstat Christianis baptismus, destituntur illi tali sigillo, & sors Judæorum sub umbris delitescentium felicior erit; Christianorum, corpus habentium, deterior. Absurdum. Concluditur: Baptismus obsignat fidei justitiam.

116. 5. *Baptizatos Ecclesiæ unire.* 1. Cor. 12. v. 13. In vno Spiritu omnes nos IN VNVM baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi. *VNI* Millud est mysticum Christi corpus, ut *vers. 14.* interpretatur; hoc est Ecclesia; *baptizari in unum corpus*, quid est, nisi baptismo ita uniri, ut conjuncti non aliter, atque vnius corporis membra inter se cohæreant Christiani?

117. 6. *Regnum cælorum aperire.* Joh. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cælorum.



rum. Ut igitur illud ingrediamur ( modo scilicet ordinario & regulari ) baptismo est opus, qui regnum coelorum aperit, carnale per renascentiam efficiendo spirituale, peccata abluendo, &c.

118. 7. *Vitam eternam largiri*: ceu organum in hoc à Deo datum *Marc. 16. v. 16.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. *Tit. 3. v. 5.* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c. *1. Pet. 3. v. 20, 21.* In arca Noë pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod Antitypum nos nunc salvos facit baptisma &c. Quæ contrà inania & inepta regerunt, in ipsa disputatione *σὺν θεῷ* diluemus.

119 VIII. NECESSITAS BAPTISMI. Patescit illa ex dictis: Est quippe necessitas 1. *mandati*: Nam quod discipulis injunctum; baptizate omnes gentes; id non minus, vi correlatorum, præceptum est gentibus, baptizamini omnes gentes. Quæ autem necessitas quondam fuit circumcissionis, quæ necessitas doctrinæ, propter mandatū scilicet, cui obsecundare necessarium; eadem non minus est baptisimi, eodem aut pari præcepto ad observandum dati.

120. 2. *Indigentia nostra*: Si homines peccato polluti, caro de carne nati, extra Christum in mundo vivunt, summa ipsorum necessitas flagitat ( non absoluta, sed conditionata, si velint æternum salvari ) à peccato mundari, renasci Spiritus, & Christo, extra quem salus non est, inseri: Quod quia Deus per baptismum peragit, ut probatum; Et clarissimè indicat sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, NON POTEST ingredi regnum caelorum Job. 3. v. 5.* constare potest cuivis, tantam esse ad vitam spiritualem Baptisimi necessitatem, quanta ad vitam corporalem, aeris, cibi que, potus que.

121. Et frustra obtenditur, finem baptisimi posse impetrari per auditum verbi; quia nostrum non est, censuram de medijs salutis, quæ Deus nobis præfigit, sumere, atque hac ratione

D 2


sapien-



sapientiam Dei justificare; quin magis animo obsequente, quid Deus præscribat, venerari, usurpare, & certo certius statuere, si tale salutis medium divinitus est ordinatum, cum primis verò, quod eam annexam habet clausulam: *Nisi eo fueris usus, regnum cœlorum ingredi non poteris*; id sub hac etiam necessitate observandum,

Precamur Deum, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, lumen veritatis inter nos accensum clementissimè conservet, in verbo suo sanctificet, seductos reducat, cœcos illuminet, lupos ab hoc ovili suo arceat, refractarios incorrigibiles, & persecutores furentes reprimat, ut ab importunis & malis hominibus liberati, perennes ipsi grates dicamus.

A M E N.







# Præstantissimo Domino Re-

spondenti *Συσσίτω* & amico meo  
non è multis.

**P** Rincipe pro populus pugnare, ejusq; tueri  
Iura solet, quid? nos hostes patiemur inultos  
Christe tuos? absit, Pietas Themis almaq;  
tantum.

Vos prohibete nefas, vestri meritum arma ministret  
Principis; Ast bene habet, multos animastis in hostes  
Hactenus, HUNNI ADES inter quos eminent, Ille  
Noxia pestifera deliramenta catervæ

Detexit: sacro quos de baptisate spargat  
Errores, præsens sit dissertatio testis.

Hic partes Martine tuas age, sedulus urge  
Cœptum, Marte Deo nihil hoc est gratius, arte  
Doctorum potes hac tibi conciliare favorem,

Quem meruit doctrina diu, bene cognita multis,  
HUNNIADI imprimis, Tu pergas; Nam favor  
arte

Qui venit, ille venit, nihil est habuisse favorem  
Est meruisse aliquid. Sed tu, quia dignus, habeto.

*ἐξεδέασου*

M. Petrus Crugerus Lub.

S S. Theol. Stud.

D 3

Aliud





Præstantissimo Domino Re-  
spondenti  $\Sigma\upsilon\sigma\iota\tau\omega$  & amico meo  
non è multis.

**R**elligio, Pietas, testor vos, ite sorores,  
ite, citæ, & niveas atratæ demite vittas,  
itæ citæ, mœstæq; Ecclesiæ indicite luctum,  
induat ut sese confestim firmate pullo  
& deploratâ crines cingat Cyparisso  
Nam furibunda suum Tarantara clangit Enyo,  
Eumenides dirum vastos ululantq; per agros.  
Quid? Serpenterâ, fama est, quatiisse bipenni  
Tænarios horrendum aditus, pestesq; nefandas  
excivisse Erebi, Ecclesiæq; immisse patienti.  
Nec mora, Mars passim hinc trepidi Bellonaq; buxi  
murmure perstringunt aures, quæq; ante sacrata  
tectâ Deo fuerant, pede nunc quatiuntur equino;  
Illinc hæreseon Acherontica tæda, misellæ  
CHRISTI Ecclesiæ, diris accincta venenis,  
insultat, torvumq; videns, ferale renidet.  
Cum primis nostro (heu!) redivivum tempore cernas  
PHOTINUM famam nomenq; acquirere eundo!  
Heu passim læto populi sermone, per ora  
currens expromit mysteria quanta sub auras!  
Vos ergo geritis, qui de meliore metallo  
pectora, cœlesti quæ sunt incocta vigore,

Vos



Vos inquam Pietas dudum quos clarat olympo,  
castigate moras, ferrum dstringite in hostes,  
figite, cædite, fundite, sternite funditus omnem  
PHOTINI sobolem Verbi mucrone sacrato:  
quò tandem Dacos repetat, crudosq̄, repulsa  
Sauromatas. Pietas, hoc vos Ecclesia poscit.

Castigate moras, Dux vobis HUNNIUS adsit  
Theiologum palmare decus, qui classica cantet,  
inq̄; mares animos verbi sacra tympana tundat.

Quin MARTINE tuis lituis accendere pugnam  
hanc perge, in rabidos pugnato gnaviter hostes,  
Perge, suis lætans afflicta Ecclesia tandem  
vindiciis, plausu feriet cœlum omne solumq̄;

*Votiva hæc προσφώνησε*

*αυτοσχεδ. gratulor*

*Martinus Nordanus.*



Aliud







05 A 1720

ULB Halle

3

003 786 17X




VD77 Bd.











atio

a

S MI

NTO,

opposita,

ente,

*publicè proposita*

NNIO D.

o,

N T E

E, Lubecensi.

matutinis.

oris Saxonix.

*a Joban. Richteri,  
Anno 1618.*

10

16

